

fulgoris maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector & consolator Ecclesiarum atq; cœnobiorum Sanctorum, maxima pietatis, regalis munificentiæ, atq; ut sit fortissimus triumphator hostium, ad opprimendos rebelles & paganas nationes, sitq; suis inimici facie terribilis, maxima fortitudine Regalis potentia: optimatibus quoque ac præcelsis proceribus & fidelibus sui regni sit munificus, amabilis & pius & ab omnibus timeatur & diligatur. Et post gloriosa tempora atq; felicia vite presentis gaudia in perpetua beatitudine habitare mereatur, per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Benedic quesumus Domine hunc Principem nostrum N. quem ad salutem populi nobis à te credimus esse concessum, fac annis esse multiplicem, salubri corporis robore vigentem ad senectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo, Heliseus in fluvio, Ezechias vetulus impetravit in templo. Sit illi regendi auctoritas, qualem Iosue suscepit in castris, & David sumpsit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus est usus in dogmate. Et ita pastoris officium perficiat in Christi ovili, sicut Isaac perfecit in fruge, & Iacob est dilatatus in grege. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre Deus æternæ gloriæ sit adiutor tuus & protector: & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam in longitudinem dierum impleat, thronum regni jugiter firmet, & gentem populumque tuum in æternum conservet, & inimicos tuos confusione induat, & super te sanctificatio Christi floreat, ut qui tibi tribuit in terris Imperium, ipse in cælis conferat præmium: qui vivit & regnat in secula seculorum, Amen. Post concionem Pontifex descendit ad altare, & prosequitur missam more consueto. Et in fine dat benedictionem solemnem dicens: Sit nomen domini. Et publicantur immediatæ indulgentiæ per unum ex Diaconis assistentibus, sive plenaria, sive ut Pontifici placuerit. Tum Cardinales & Prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas cappas. Pontifex verò dimissis missalibus indumentis, accipit pluviale, & mitram pretiosam. Et cum Imperatore descendit ad gradus Basilicæ sub eodem baldachino. Si est Dominica *Letare Hierusalem*, Pontifex sinistra portat rosam auream, dextra benedicit assistentibus atque hinc elevatibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem auream rosam Pontifex, antequam ad Ecclesiam descendat, in camera papagalli benedicit cum balsamo & muscho, quod in singulis annis fit in tali die, pro ut inferius in suo loco plenè scribeamus. Si verò esset alius dies, dextra sicut sinistra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus à sinistris retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate elevabit fimbriam à dextris. Caudam verò portabit major Princeps, & si erit Rex. Principes vel Rex & Prælati, qui venerunt cum Cæsare, dum missarum & coronationis solennia fiunt, semper Cæsarem sequuntur. Et cum ipso in suo suggestu constituunt semper. Et similiter, qui cum Augusta, eam semper comitantur assistuntque. Quæ finita missa, dimissis Pontifice & Imperatore in Ecclesia, ad domum suam cum suis revertitur.

CAPUT III.

Processio Pontificis & Cæsaris per Urbem.

Cæsar cum corona in capite, scepro & pomo in manibus ad latus Pontificis incedens, nisi illius manu ducatur (quia tunc pomum vel scepro tantum in sinistra retineret) cum ad finem graduum pervenerit, traditis scepro & pomo